



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 390/15/I

B E A T I S S I M E P A T E R ,

Teresita Filippi, Superiorissa Generalis Instituti Sororum a Misericordia Veronensem, filiales devotionis sensus erga Sanctitatem Tuam pandit, et reverenter exponit die VI proximi mensis Iulii quadragesimum expletum iri anniversarium, ex quo beatus Paulus Pp. VI in beatos retulit venerabilem servum Dei Ioannem Henricum Carolum Steeb, qui Tubingae natus et iuxta Lutheranae confessionis ritum baptizatus, plenum veritatis lumen adeptus, Veronae catholicam amplexatus est fidem. Sacerdos deinde factus, effusa in Christum et in proximos caritate enituit posterisque veluti hereditatem Institutum a se conditum, Sororum scilicet a Misericordia nuncupatarum, reliquit pro afflictis egenisque et aegrotis curandis.

Ad hunc faustum eventum rite commemorandum, iubilares celebrationes et varia spiritalia incepta, Veronae et in singulis locis sacris, quibus Sorores et Laici a Misericordia utuntur, a die VI proximi mensis Iulii usque ad diem XX Novembris MMXVI habebuntur, quibus id in primis propositum est ut christifidelibus, unito corde cum Anno Vitae Consecratae et proximo Anno Misericordiae Sancto, exempla vitae beati Caroli Steeb meditantibus intercessionemque apud Deum invocantibus, obtineatur incrementum Fidei, Spei et Caritatis, necnon filialis dilectionis et oboedientiae erga Sanctitatem Tuam, Christi Vicarium in terris. Quo autem hi spiritales fructus perfectius attingantur, Rev.ma Oratrix a Sanctitate Tua donum Indulgenciarum ad instar Iubilaei implorat. Et Deus, etc.

Die XXV Iunii MMXV

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de speciali mandato Sanctissimi Patris Francisci, *iubilarem libenter concedit Annum cum adnexa plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) a Sororibus et Laicis a Misericordia aliisque christifidelibus vere paenitentibus et caritate compulsis lucranda, sociatis cordibus cum spiritualibus finibus Anni Vitae Consecratae atque Anni Sancti Misericordiae,

a.- si iubilaribus celebrationibus pie interfuerint: die VI Iulii MMXV, quadragesimo beatificationis anniversario Fundatoris Caroli Steeb; in sollemni celebratione, qua claudetur XVIII Capitulum Generale; die X Septembris, festo beatae Vincentiae Mariae Poloni, Fundatricis Instituti; die XXVII Septembris, festo sancti Vincentii a Paulo, Patroni Instituti; die XV Decembris, festo beati Caroli Steeb, Fundatoris Instituti;

b.- Veronae, si in forma peregrinationis inviserint cappellam Fundatorum, rectoralem ecclesiam S. Catherinae de Rota, maiorem ecclesiam nosocomii civici Veronensis, ubi pie asservantur exuviae quinque Sororum "Martyrum Caritatis";

c.- si vigiliis precum pro Institutu intentionibus devote adsisterint, in religiosis domibus Veronae sitis et in mundo (Italia, Germania, Lusitania, Tanzania, Burundia, Angolia, Argentina, Chilia, Brasilia);

d.- diebus professionum temporiarum et perpetuarum necnon in professionum anniversariis (XXV, L, LX, LXX);

e.- in exercitiis spiritualibus, quae in Instituto habebuntur a die VI Iulii MMXV usque ad finem Iubilaei Extraordinarii Misericordiae.

Sorores et Laici a Misericordia qui, propter infirmitatem aliasve graves causas impedianter iubilaribus celebrationibus interesse possint, in loco, ubi impedimentum eos detinet, pariter *plenariam* consequi valebunt *Indulgentiam*, concepta detestatione cuiusque peccati, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si sacris ritibus se spiritualiter adiunixerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordi Deo per Mariam oblati.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut sacerdotes, opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, in ecclesiis et sacellis Sororum et Laicorum a Misericordia celebrationi Paenitentiae sese praebeant atque Sanctam Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti per Annum B. Caroli Steeb dicatum valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

De mandato Eminentissimi


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens


Ioannes Maria Gervais
Ad. a Stud.